

bilitas intrinseca nulla foret , nisi præcederet ,  
velut prævia, possiblitas caußæ, sive, possibi-  
litas à parte primi Entis , tanquam caußæ om-  
nipotentis , aut omnia valentis , prout aliis hic  
loqui placuit. Nam ut ipse solus nutu suæ Om-  
nipotentiæ vocat τὰ μὴ ὄντα ως ὄντα , Rom. 4.  
17. atque , *dixit ut è tenebris lux splendesceret* , 2.  
Cor. 4. ita ratione illius Unius , quicquid possi-  
ble est , radicaliter censeri debet , prout pari-  
ter quoque ratione ejuidem necessaria & con-  
tingentia æstimari solent. Adeo , ut omne quod  
est possibile , censeri debeat in ordine ad Deum ,  
velut primum Ens. Atque nihil foret possibile ,  
imo ne impossibile quidem , si non foret pri-  
mum Ens. Nam ut nullum possibile est ex se , ita  
neque esse potest , nisi esset primum potens , &  
Ens Omnipotens : atque contradictionem im-  
plicat esse possibile , & non esse caußam aliquam  
active potentem , seu omnipotentem , in cuius  
virtute contineatur effectus ille possibilis : esset  
enim possibile , non possibile. Atque si nullum  
sit possibile , neque erit quoque aliquid impossibi-  
le , siquidem impossibile velut contradicto-  
rium , æstimari debet ex Possibili. Quid quod  
possibile sese habeat respective & dependenter ;  
ac proinde debeat referri ad aliquid absolutum  
& prius. Nihil vero hic occurrit præter Dei  
potentiam infinitam : nam cujuscunque etiam  
Entis finiti potentiam consideraveris , possibile  
evadere poterit impossibile , quum omne quod